



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis E Societate Iesv, De Eloqventia  
Sacra Et Hvmana**

**Caussin, Nicolas**


**Coloniae Agrippinae, 1626**

Lectori.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68724](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68724)

## LECTORI.


**Q**UOD plerisque animantibus, aiunt inesse  
 tam mites, tamq̄ efficaces oculos, ut eorum  
 aspectu, quasi mollissimo incubatu pulli ex-  
 cludantur: Hoc ipsum in isto ingenij fœtu  
 (Lector) experti sumus. Tu illi adhuc penè in ovo, & in  
 partus vinculis, tam blandis, tam potētibus oculorum  
 radijs, es obstetricatus: Tu natum tanta benevolentia  
 complexus es, ut meritò se totum tuis utilitatibus de-  
 beat impendere. Qui tibi placuit in primis (ut aiunt)  
 incunabulis, auctior ut spero non displicebit: Nihil est  
 (mi Lector) in hoc litterarum puluere cultura eloquen-  
 tia aut nobilius, aut operosius. Iam enim à prudentibus  
 non queritur indigesta rerum farrago, in quam se in-  
 temperantis prurigo sæculi ardentius quam cautius  
 effuderat; Sed solers & nervosa, & acuta dicendi ratio,  
 quâ se & vegeta produnt ingenia, & accurati lima  
 iudicij. Hanc in isto opere Flexanimam non meis qui-  
 dem coloribus, sed Græcæ Latinæque antiquitatis opi-  
 bus excultam, quasi in eminenti arce posui. Tu Lector  
 fruerere, & quidquid inde hauseris in Deum scientia-  
 rum omnium fontem & Dominum reuolue, memor il-  
 lius dicti, quod ex sacrario prodijt sapientiæ. Oportet  
 prius animas, postea linguas fieri eruditas.